

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

EVANGELIUM. LUCÆ VII.

In illo tempore, ibat Jesus in civitatem, quæ vocatur Naim, et ibant cum eo discipuli ejus, et turba copiosa. Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ: et hæc vidua erat, et turba civitatis multa cum illa. Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere. Et accessit, et tetigit loculum. Hi autem, qui portabant, steterunt. Et ait: Adolescens, tibi dico, surge. Et resedit qui erat mortuus, et cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ. Accepit autem omnes timor, et magnificabant Deum, dicentes: Quia propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam.

CONCIONES

- I. Timor Domini quam merito in nobis esse debeat.
- II. Mors cur in mundo relicta?
- III. Quæ potissimum vitia juvenibus vitam abrumpan?
- IV. Causæ cur tam multi ante maturam ætatem moriantur?
- V. Ars bene moriendi.
- VI. An et qua ratione mortui lugendi sint?
- VII. Emendationem vitæ non esse differendam usque ad senectutem?

CONCIO I.

TIMOR DOMINI QUAM MERITO IN NOBIS ESSE DEBEAT.

- I. Quia supra nos Deus: 1. Potentissimus. 2. Creator et Dominus noster. 3. Omnia nostra inspiciens. —
- II. Quia infra nos infernus et purgatorium. —
- III. Quia retro nos peccata nostra præterita. —
- IV. Quia ante nos pericula futurorum peccatorum. —
- V. Quia intra nos peccata corrupta. —
- VI. Quia extra nos hostes plurimi.

THEMA.

Accepit autem omnes timor. Luc. VII.

Numer. XIV. describitur et taxatur cæcitas ac temeritas populi Hebræi, quod contra Dei præceptum et Moysis admonitionem, absque arca fœderis, absque duce suo Moysse ascendere præsumpserint in verticem montis Idumææ, quo nimirum mox penetrarent in terram Chanaan, quasi id ludus parvulorum et res nullius laboris aut periculi esset. Monebat illos Moyses: Nolite

- VIII. De sepultura Christianorum ejusque causis.
- IX. Documenta et mysteria.

CONCIONES AUCTARIUM.

- I. Documenta quædam ex hodierno evangelio.
- II. Veræ penitentiae indicia.
- III. Civitas pulchra quænam.
- IV. Cæmeterium schola virtutis.
- V. Omnibus, etiam justis, in timore Domini semper vivendum: stimuli ad hoc.

ascendere, non enim est Dominus vobiscum, ne corruatis coram inimicis vestris. Amalecites et Chanaanæus ante vos sunt, quorum gladio corruetis, nec erit Dominus vobiscum. At nihilominus illi contenebrati (ut ait textus) ascenderunt in verticem montis. Descenditque Amalecites et Chanaanæus, qui habitabat in monte, et percutiens eos atque concidens, persecutus est usque Horma, quod exponitur anathema. Hujusmodi stultitia et temeritas cernitur manifeste in hæreticis nostris, dum sola fide sua freti promittunt sibi cælum, secluso omni timore. Et licet eos Scriptura sacra sexcentis in locis moneat, non posse tam secure penetrari ad terram Chanaan cœlestis beatitudinis, sed cum timore et tremore operari oportere salutem, eo quod multi hostes iter id obsideant: nihilominus illi contenebrati pergunt ascendere ad montem illum, et absque omni metu, quasi saltando pergunt ad horrendum Christi tribunal. Ubi absque dubio terribiliter excipiuntur et pelluntur usque Horma, seu ana-

thema æternæ damnationis. Sed forte non desunt etiam catholici, qui hac cæcitate laborant, et desua salute nimium præfidunt, omni timore pulso. Si qui tales sunt, gravissime aberrant et ut verbo dicam, clausis quodammodo oculis ad infernum ruunt.

Quod ut cæci isti videant, afferemus rationes, quæ nobis ingenerare timorem Dei debent. « Legimus de rege quodam (ita scribit Maiolus episcopus Vultuariensis, tom. II. canic. coll. ult.) qui nunquam ridere visus sit, quique nullis rebus, quantum vis jucundis et facietis, ad risum commoveri potuerit. Aulici et consilarii regis sui ingenium admirati, fratrem regis impellunt, causam tristitiæ ut sciscitetur. Cui rex causam indicaturus, postero die jubet foveam profundissimam stratis in fundo ignitis carbonibus parari, solium vetustate fere corruptum superimponi, in quo fratrem diademate, scepro et cultu regio magnificentissimo ornatum, collocat, abacum auro argentoque cælato, et varii generis vino, epulisque exquisitissimis instructum poni jubet, adhibentur cantores voce et multiplici instrumento musico modulantes ministrant mensæ nobiles aulici, nec quidquam regalis magnificentiae desideratur. Interim capiti fratris rex ensem filo bombycino imminentem e lacunari dimittit, armatos milites quatuor subornat, qui strictis ensibus novum regem adoriantur pectus hic, alter tergum, reliqui duo utrumque latum murone petant. Quibus hoc modo constitutis fratrem bono esse animo demere supercilio nubem et ridere rex jubet: at is inter tot pericula totus perterritus, et pene exanimatus, quo se vertat nisi præsentissimo cum vitæ periculo non videt modo ut surgere et abire sibi liceat, per deos omnes precatur. Tunc rex: Talis est vita omnium, qui ad gubernacula sedent; in his periculis vitæ, et fortunarum omnium singulis momentis versor et ego, in regio quidem sum constitutus throno, at his singulis horis ruinam minatur. Cum nullum sit in orbe imperium tam firmum quod non variis casibus sit obnoxium quocumque me verto imminens periculum ante oculos positum certum supra me Deum justum judicem, accuratam postulaturum paulo post a me totius vitæ et gubernationis meæ rationem video, finemque singulis momentis, vitæ meæ tenui filo dependentis, imminentem vereri cogor, infra me si lumina defigo, gehennæ horribile barathrum infernalibus flammis ardere intueor: si ante me prospicio, vitam vario fortunæ ludibrio expositam considero et tragicos casus extimesco: retro respiciens vitam antecitam multis peccatis et erroribus deploro: si ad

utrumque latus oculos deflecto, imminentium undique malorum congeriem, et ingrumentum calamitatum pericula exhorreo. His malis exercetur quotidie, qui imperia et principatus tenent. Habes igitur frater causas tristitiæ meæ, quas dum singulis momentis mihi ante oculos pono, nullam mihi ridendi et ludendi causam oblatam video. »

Simili in statu quilibet nostrum versari videtur, auditores. Etenim supra nos cernimus Deum, cum justitiæ gladio nobis attendentem singulis momentis: infra nos inferni foveam, peccatoribus paratam: retro nos peccata nostra præterita, remorsu conscientiae nos vexantia: ante nos pericula committendorum peccatorum: intra nos concupiscentiam ad peccandum pronam: extra nos hostes plurimos.

I. Supra nos videmus Deum, de quo ait Job cap. XXXI. *Semper quasi tumentes super me fluctus, timui Deum.* Qui primo est potentissimus, cui non potest resisti ab ulla potentia, sed cum sit supra nos, omnes nos pro libitu suo castigare et perdere potest ac contere: quomodo nos formicas vel vermiculos pedibus conterimus. Unde Mardocheus sic orabat: *Domine, Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita; et non est qui tuæ possit resistere voluntati,* Esth. XIII. Quod si, cum spiritus aut dæmones videmus, mox ingenti horrore concutimur, quia nimirum scimus eo esse fortissimos, nec posse a nobis vinci aut vulnerari, sed viribus longe nobis superiores esse: quomodo non magis timendus Deus, ante quem ipsi dæmones contremiscunt? ut ait S. Jacobus.

Secundo, ipse est pater et creator, adeoque etiam Dominus noster, qui vasa quæ formavit, contere et confringere jure suo potest, nec est qui possit ei dicere: *Cur ita facis?* Job IX. Unde Dominus ait, Matth. X. *Noli timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius time eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* Quam, quæso, timeres illum; qui te in fune pendulum penderet super altum puteum? Quam tu illi bona verba dares? Quam ablandireris? Quam abstineres ab omni convicio aut offensa ejus? Atqui ita nos a Deo dependemus: *Quis (ergo) non timebit te, o Rex gentium?* ait Jerem. c. XIV.

Tertio, ipse omnes nostros actus inspicit et novit, et notat et inscribit, ut suo tempore judicet, præmiet vel puniat. Pueri in scholis timent eum qui potestatem habet notandi eorum errata, garrulitatem aut levitates in templo vel schola commissas. Nos ergo non timeamus Deum, qui per seipsum omnia nostra facta refert in suas

tabulas? Venite mecum ad Ezechielem, is, c. IX. asserit se vidisse virum vestitum lineis (Christum scilicet juxta communem expositionem) et atramentarium scriptoris ad renes ejus: *Quo nimirum omnia peccata describeret*, ut ait ibi Hieronymus, *et sanctorum a peccatoribus numerum segregaret*. Scribit Petrus martyr in summario rerum Indicarum, in Hispaniola insula folia Coppei arboris papyri vicem præbere, accedissequæ ut quidam Hispanus mitteret aliquando litteras in foliis illis conscriptas cum munere ad amicum. Munus vero non integrum cum litteris est exhibitum. Rescripsit ergo amicus se munus omne non accepisse, quod litterarum lator partem sibi retinisset. Lectæ igitur litteræ, et damnatus fraudis lator, crimen confessus est. Inde evenit, ut insulares non auderent colloqui juxta eas arbores, quod animatas crederent et secreta pandere. Cogitate nunc auditores, quam cauti esse debeamus in omnibus nostris actibus; siquidem prope nos adstat Deus, qui omnia nostra intuetur et aliquando revelabit ac judicabit. Certe in hodierno evangelio et alias sæpius (Joan. I. Dan. VI. Matth. VI. Matth. XXVII.) timor invasit homines ex eo præcise, quod miraculum conspicerent, adeoque divinitatis præsentiam inde colligerent. Quanto magis tremere debemus, si cogitaremus Deum nobis adesse ut inspectorem et judicem.

II. Infra nos videmus pœnas nobis debitas, infernum vel certe purgatorium. Scimus enim peccatis mortiferis deberi infernum: venialibus vero purgatorium, aut pœnas alias in hoc sæculo; nec facile reperiri, qui utrisque careat: Deum præterea justum esse, qui nullum peccatum impunitum relinquat, juxta id Job IX. *Verebar omnia opera mea sciens, quod non parceres delinquenti*. Cum ergo probabilissimum et quasi certum sit, alterum ignem nobis subeundum: quomodo non timemus? Tradunt historici Didacum Osorium Hispalis in carcerem a rege catholico conjectum una nocte, cum esset admodum juvenis incanuisse, præ nimia animi angustia et mortis metu, Petr. Hisp. Syl. p. II. cap. VII. Nos autem in hoc mundi carcere inclusi, et aliquando educendi ad mortem et supplicium, seu æterni, seu transitorii, lætabimur? Ridebimus? Quam levæ sæpe piacula militum plectuntur mortis supplicio quam exigua furta laqueo? Quid faciet nobiscum Deus? Omniane condonabit? Haud credo. Imo tanto severius castigabit, quanto major est ipse offensus, nos enim offensas hominum fere plectimus suppliciis, non offensas Dei. Timuerunt certe ignem illum viri sanctitate conspicui, uti S. Hieronymus

qui, ep. XXII. ad Eustoch. ait: « Ille ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere damnaveram, scorpionum tantum socius et ferarum. » Item sanctus ille abbas, in vitis pp. l. IV. c. XLIV. dicens: « Ego ob peccata mea inferno adjudicavi meipsum, dicoque: Esto cum his, quibus dignus, istis post modicum annumeraberis: » et Cyrillus Alexandr. orat. de exitu animæ: « Gehennam timeo, quippe interminatam: exhorreo tartarum ut cui nimium insit calor: paveo tenebras, quoniam nihil admittunt lucis: formido pestiferum vermem quoniam est perennis: » et S. Hilarion ex hoc carcere educi timens, vicina jam mortis dixit: « Egredere anima mea, egredere, quid times? Septuaginta prope annis servivisti Christo, et mortem times? » teste S. Hieron. Igitur sancti illi timent, qui tota vita sua Deo servierunt in maxima vitæ austeritate; et nos securi erimus? Quam bene S. Chrysostomus, homil. V. ad pop. comparat nos pueris, qui larvas timent, non ignem, cui dum manus inferunt, amburunt. Sic enim nos metimus damna temporalia, confusionem, paupertatem, opera pœnitentiæ, et afflictiones corporis, confessionem: peccatum vero et ignem, ad quem ducit, non formidamus, sed cæcorum instar in illum insilimus. Mira et miseranda cæcitas! Nonne ipsi dæmones vehementer timeant ne in tartarum ablegarentur a Christo? Quid enim est quod Luc. VIII. *Rogabant illum ne imperaret illis ut in abyssum irent*, sed potius ut permitteret eis in porcos ingredi? Nonne dæmones, teste ven Beda omnibusque theologis, etiam qui in aere et supra terram degunt, suas quoque pœnas secum undique circumferunt? Et tamen adeo instanter rogant, ne in oreum deiciantur; quia eorum pœnæ in inferno multis partibus cumulandæ sint. Timeant ergo dæmones et non timeant homines detruhi in abyssum?

III. Retro nos videmus peccata præterita et vitam male actam. Etenim in sæculo, præsertim si diu viximus, quomodo non innumera coram Deo debita contraximus; ut merito existimare possumus servum illum, qui decem millia talenta domino suo debuit, nos significare? Diceas, ea deleta esse per pœnitentiam. Sed unde imprimis nosti, quod ea omnia vera et seria contritione ac pœnitentia expiaveris? Quid si multa non sis confessus vel non recte, defectu examinis, contritionis vel attritionis, propositi, emendationis, et satisfactionis: adeoque tibi vane blandiaris dicendo: *Pax, pax, cum non sit pax*, Jerem. VIII. Quam multi vix decimam partem peccatorum suorum confitentur? Quam multi adferunt sarcinam peccatorum, quam vix duo equi ferrent, ad

confessarium, absque ullo tamen doloris indicio vel emendationis proposito? Interim festinanter expediti a confessario et absolvi volunt. Quibus id Alberti M. dici potest: *Ivisti prius ad infernum sine licentia* (sine absolutione), *nunc ibis cum licentia* (cum absolutione.)

Deinde, qui nosti nihil te habere occulti sceleris? Nihil alieni? Nihil omissionis? Cur enim ait David, qui diligenter scopebat spiritum suum: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo*. Fieri certe potest, ut multa ob subtilitatem te fugiant, uti cogitationes, intentiones, omissiones: vel ex ignorantia culpabili peccata esse non existimes, quæ peccata sunt: vel exciderint tibi e memoria, culpa tua, ob dilatam confessionem, vel conscientiam non satis discussam. Unde rursum David, Psal. XXXIX. ait: *Comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem; siquidem non videmus fundum cordis nostri, et nescimus an in eo vitium aliquod secretum lateat*. S. Basilius, in constit. monast. c. I. ait: *Cum in multis rebus offendamus omnes, majorem tamen offensarum partem ne intelligimus quidem*.

Ad hæc si dimissa demus peccata, numquid etiam pœna omnis condonata? Uti enim: *Sanetur vulnus, manet tamen cicatrix*, dicebat Alexander Magnus, ita post absolutionem remanet satisfactio. Unde idem David dixit: *Quoniam ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper*. Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo, Psal. XXXVII. Hieron. ex Hebr. vertit: *Sollicitus ero pro peccato meo*, id est, anxie cogitabo, quo modo Deo satisfaciam et plenam indulgentiam obtineam. Qui magnum creditorem habet quem vix solvere potest timet illi obviare, eum alloqui: Deum ergo non timebimus, cui tanta debemus? Vere igitur dixit Ecclesiast. c. V. *De propitiato peccato noli esse sine metu*. Sane qui in taberna sedent et potitant, sæpe sæpius aspiciunt parietem, et numerant mensuras vini exhaustas in eo descriptas, videntque an habeant ad solvendum, et si præter opinionem vident exerevisse debitum, consternantur. Cur non timeamus nos, qui tot debita contrahimus, quæ vix aliter deleri possunt, nisi sævissimo ignis incendio?

Denique, quæ putamus bene nos fecisse, sæpe suos nevos habent et coram Deo mala sunt. Alia enim sunt judicia Dei, alia hominum: *Et plerumque in conspectu sordet æterni judicis, quod intentione fulget operantis*, ait S. Gregor. Multa requiruntur ad opus bonum et meritum: plura ad perseverandum in bonis operibus. Unde David, Ps. CXLII. ait: *Non intres in judicium cum servo tuo,*

quia non justificabitur in conspectu tuo annis vivens: S. Hier. in Jer. c. XXX. ait: *Omnis mundus indiget misericordia Dei. Nullus securus ad judicem pergat*. Id quod etiam fecit et dixit Augustinus: neminem scilicet quantumvis perfectum discedere sine pœnitentia e vita debere. Idem S. Augustinus, l. IX. conf. c. XIII. non audens omnino justificare sanctam matrem suam, dixit Deo: *Væ etiam laudabili vitæ hominum si remota misericordia discutias eam*: et, Ps. XLI. ait, quod: *Abyssus abyssum invocet*, abyssus scilicet humanæ miseris et cæcitatibus abyssum divini luminis et misericordiæ. Ipsemet apost. I. Cor. IV. ait: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*: et Job, cap. VII. *Etiamsi habuero quidpiam justum, non respondebo ei sed judicem meum deprecabor*.

IV. Ante nos videmus pericula futurorum peccatorum et perversionis nostræ. Quam facile enim contingere potest, ut propter aliquod veniale peccatum tantum, quod sæpius repetitur, gratiam suam Deus sensim subtrahat sinatque hominem sibi, ex quo is tandem in gravia peccata ruat? Quam sæpe vincuntur vana gloria et superbia, qui prius victores erant? Unde David precatur: *Non veniat mihi pes superbiæ et manus peccatoris non moveat me*. Quam facile obrepit justis torpor aliquis et negligentia ob nimiam præfidentiam et securitatem, ut sibi et carni blandientes atque indulgentes paulatim tepescant, deficiant et cadant. Audi Deum, Jerem. XXII. dicentem: *Vivo ego dicit Dominus, quia si fuerit Jechonias filius Joachim regis Judæ, annulus in dextera mea, inde evellam eum*, ubi nimirum coeperit curam sui abjicere et me relinquere. Quot ejusmodi annulos, id est, sibi charissimos et amicissimos abjecit de manu sua Deus? Nonne Luciferum? Nonne Saulem? Nonne Salomonem in ipsa demum senectute ejus? Nonne præclarissima duo Ecclesiæ lumina, Origenem et Tertullianum, illum Græcum, hunc Latinum, utrumque in juventute cupidissimum martyrii, utrumque abstinentiæ et continentiam amatorem, utrumque scriptorem egregium non tantum adversus gentes, sed etiam adversus hæreticos: etenim uterque in senectute lapsus est in hæresin. Taceo anachoretas, unicum commemorabo. Heronem eremitam, qui annis quinquaginta vixit in eremo, in summa abstinentia, continentia, silentio et vitæ perfectione: postea tamen illusus a diabolo semet in altissimum puteum præcipitavit; quasi pro merito virtutum ac laborum non posset ulli discrimini subjacere: et semimortuus inde ereptus a fratribus, ne sic quidem respiscere voluit sed in sua obstinatione vitam finivit. Testatur hoc Cassianus, coll. II. atque

tem tempore suo gestam et plurimis fuisse notam. Bene igitur S. Leo, serm. VIII. de epiph. scripsit: « Hæc sanctis causa est tremendi ac metuendi, ne ipsis operibus pietatis elati, deserantur ope gratiæ, et remaneant in infirmitate nature. »

Ne ergo id in te fiat, mox et diligentissime mtere divinis auxiliis. Si Deus porrigit tibi manum, protinus tuam quoque porrige: si in naufragio tabulam subministrat, illico apprehende: si ostium pulsat, aperi confestim: si cum Paulo vocat, responde sine mora: Domine, quid me vis facere? si respicit cum Petro, continuo exi foras et amare fletu.

V. Intra nos videmus naturam ex lapsu Adami corruptam, velut sellam vetustate absumptam et teredines gignentem: videmus nostram labilitatem imo peccandi necessitatem, ut non possumus evitare omnia peccata, saltem venialia. Fanta enim est nostra fragilitas et inconstantia, ut levissimo tentationis flatu dejiciamur; ut anica musca, si nos paulo diutius infestaverit, laiciat irasci quandoque ad blasphemiam; ut modica afflictio nobis pariat tedium vitæ; ut una dies vel nox interposita omnia hominis proposita ac desideria mutet; ut singulis fere horis nova capiamus consilia, nova quæramus oblectamenta.

Ad hæc sumus quasi castellum, quod undique portas habet; per quas occupari potest, quinque videlicet sensus: et intra nosmetipsos habemus milites præsiarios, qui cum hostibus colludunt et perpetuo de traditione castelli tractant, concupiscentias nimirum. Quare uti castellanus ejusmodi in perpetuo est timore, ita et nos esse debemus.

VI. Extra et circa nos videmus hostes plurimos et validissimos, qui nobis diu noctuque insidiari non desistunt et contra nos conjurarunt, demones scilicet et mundus: « Artífex tegularius, inquit Chrysostomus, etsi valde peritus sit, cum timore tamen et tremore stat (in tecto) metuens ne ab ædificio decidat; et tu credidisti, multa bona patrasti, in sublime ascendisti: caute te ipsum continebis et cum timore stabis, oculumque vigilantem habebis, ne decidas: sunt enim multa nequitiae spirituales, quæ te dejicere conantur. » Sic ille. Et certe si talis artifex metuit ob id tantum, quia facile pes labitur et vertigine caput involvitur, licet nullos habeat hostes, qui dejicere illum cupiant? quanto magis timendum homini, qui præter labilitatem et imbecillitatem sensitam, habet etiam plurimos hostes, qui perdere ipsum laborant. Indignabantur nautæ Jonæ, quod in medio tempestatis dormiret secure, nihil

de tempestate sollicitus, Jon. I. Et quomodo nos possimus dormire in tot periculis et securi esse? Videmus quanta in angustia sint cervi cum agitantur, quomodo in fluvios et stagna se conjiciant, omnia perrumpant et transilient. Scribitur etiam eos lacrymari, cum inter angustias inevitabiles se constitutos vident. Neque mirum, intra se enim cor pavidum et infirmum habent, extra et circa se scolopetarios, ante se retia, retro canes allatrantes. Atque omnia hæc et plura terculamenta circa nos habemus, intra nos naturam fragilem, extra hostium insidias, retro peccata præterita, ante peccata futura: infra pœnas nobis debitas supra Deum potentissimum dominatorem, cardiognostam. Non ergo nos timebimus? Imo in tot terroribus non fundemus lacrymas? Sed nimirum evenit nobis quod latrunculis Syriæ, IV. Reg. VI. qui percussi cæcitate, non agnoverunt se in medio terræ hostilis esse. Proinde clamandum est ad Deum cum Elisæo: Domine, aperi oculos istorum ut videant.

Sane card. Bellarminus cum audisset aliquando, (ut in ejus vita, cap. XXXVI. scribit Marcellus Cervinus) magnum quemdam virum morti propinquum, ita securum de sua salute discedere ut omnibus diceret, bono animo essent, se salvum fore, extimuit, diabolicam fraudem videns, nec omisit, quin morituro confestim occurreret, et saluti ejus prospiceret, ac nimiam illam securitatem menti ejus eximeret, timoremque persuaderet.

Quare nemo nostrum sit, quem non accipiat timor, si velimus ingredi terram promissionis, quia: *Timenti Deum non occurrent mala*, ait Ecclesiasticus, c. XXXIII.

CONCIO II.

MORS CUR IN MUNDO RELICTA.

I. Ut peccatum execremur. — II. Ut mundi vanitates aspernemus. — III. Ad peccandi libidinem coercendam. — IV. Ad depressionem potentum. — V. In solatium miserorum, pauperum, et electorum. — VI. Ad exercitium Christi militum. — VII. Ad majorem Dei gloriam.

THEMA.

Accessit et tetigit loculum. Luc. VII.

Cum hodierni evangelii historiam expendo, in mentem mihi venit grande illud miraculum, quod operata est arca fœderis, cum in adventu suo Jordanis aquas, quæ in mare mortuum influunt, divisit, et superiores quidem stare fecit, donec populus Hebræus Jordanem pertransiret, quibus transgressis, Jordan ad pristinum suum

cursum rediit, uti legimus, Josue, cap. III. et IV. Quid enim aquæ Jordanis in mare mortuum defluentes aliud significant, quam moriendi necessitatem mortalibus omnibus incumbentem? Ita enim mulier illa Thecutes dicebat ad Davidem: *Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terra, quæ non revertuntur*, II. Reg. XIV. Porro aquæ istæ rapiabant inter alios impetu suo adolescentem hodierni evangelii, qui jam efferebatur. Verum intervenit verissima arca fœderis Christus qui fecit ut starent aquæ: (*Accessit enim et tetigit loculum, hi autem, qui portabant, steterunt*) eduxitque de morte juvenem. Quo sane significat, se mortis triumphatorem, fideles sectatores suos per mortis vadum ad promissam felicitatem esse tractaturum. Verum quærat aliquis, cur mortem non omnino sustulerit. Quemadmodum enim aquæ Jordanis ad fluxum suum redierunt: ita moriendi necessitas suam adhuc vim obtinet, et ille ipse juvenis a Christo resuscitatus, postea a Jordane rursus ad mare mortuum abreptus est. Nonne melius fuisset, si Jordanem omnino siccasset, et mortem sustulisset? Breviter respondeo: Si hoc melius fuisset, Christus utique fecisset. Cum ergo hoc non fecerit, melius utique fuit relinqui in mundo mortem. Sed quam ob causam? Audiamus.

I. Respondet S. Augustinus, in l. de peccatorum meritis et remissione: ut homines peccatum horreant et execrentur: *Per quod mors intravit in orbem terrarum*, Rom. V. Quia enim peccatum in sua fœditate et horrore cernere non possumus: idcirco nobis reliquit Deus partum ejus monstruosum, quem cernere possemus, estque ipsa mors, peccati filia primogenita, (Job XVIII.) hoc est primaria et princeps inter cæteras ejus filias. Cum videmus pendulos in patibulo, quorum carnes jam defluxere, horrore omnes perfundimur. Et unde quæso illa tam tristis imago, tam prodigiosus fœtus, nisi a matre, peccato, quæ hunc partum genuit et florentem forma hominem tam turpiter vestivit? Cum cadaver hominis paulo diutius hospitatur in ædibus, intolerabile fit hominibus, omnes oclusis naribus transeunt et cadaver ejectum volunt. Quid si conspiceremus illud, postquam aliquot mensibus in sepulcro jacuit? Et unde horror ac fœtor ille, nisi a peccato? Quando in aliqua civitate dire grassatur pestis, quantæ ibi miseriæ? Quam fugit unus alterum? Quam repente extinguuntur homines? Quam ab omnibus deseruntur ægri, et quam misere ejiciuntur mortui in communem aliquam fossam? Quæ hujus calamitatis causa? Adam pater noster unicum pomum rapuit, rapiendoque unicum peccatum admisit; et ecce nos omnes

morimur et tam misere morimur. O vere fera pessima (peccatum) devoravit genus humanum! Fœdissimum prorsus peccatum fuit Sodomorum; cæterum ut fœditatem ejus homines et agnoscerent et mente retinerent, vide quid egerit Deus: *Sulphure et igne de cælo misso subvertit non modo civitates illas, sed et omnem circa regionem, universos habitatores urbium et cuncta virentia terræ*, Genes. XIX. voluitque Deus exaltare perpetuum monumentum hujus subversionis, nam conflavit ibi lacus salsus et bituminosus, qui nec pisces fert, nec vivum aliquid, indeque dicitur mare mortuum: et pisces eo delati ex Jordane, mox emoriuntur, ut scribit Tertul. in carn. de Sodomâ aliique plurimi. Addit Philo, in l. de Abraham, mare hoc sive lacum, continuum fumum et sulphur, quasi reliquias incendii exhalare: et Borcardus, in descriptione terræ sanctæ: « Mare mortuum, inquit, semper est fumans et tenebrosus, sicut ego oculis meis vidi, ut videatur esse os inferni, adeo tetrum vaporem fumat, ut vicina ad mediam diætam scilicet ad quinque vel sex leucas sterilia reddat, ita ut ne germen quidem producant. » Et unde hæc tam tetra terræ illius facies? Unde mare illud mortuum et mortiferum, et quamobrem durat in hodiernum? Respondet Sapiens, Sap. X. *In testimonium nequitiae*, inquit, *fumigabunda constat deserta terra, etc.* quasi dicat: Voluit Deus exaltare monumentum peccati Sodomorum, ut inde homines intelligant nequitiam peccati, ex quo velut e fonte profluit mare mortis, quæ omnibus vitam adimit, quotquot nascuntur in mundum; quæ omnia subvertit, et cuncta virentia depascit omniaque fœtore et horrore implet. Et unde hoc nisi a peccato? Decuit igitur ut mors in testimonium nequitiae hominum suo loco constaret.

II. Ut mundi vanitates et carnis illecebras aspernemur, quando videmus floridam et juvenulam carnem tandem immutari in rugosam anum et tristem mortis imaginem. Quid ergo est quod colunt carnis amatores, nisi foetidum cadaver? Colebant Babylonii draconem magnum pro numine deque eo dicebat eorum rex Daniël: *Ecce nunc non potes dicere, quia iste non sit deus vivens, adora ergo eum*. Sed Daniel coxit massam e pice, adipe et pilis, et injecit ori draconis, qui præclusis faucibus mox diruptus est. Tunc ait illis Daniël: *Ecce quem colebatis?* Græce: *Ecce numina vestra?* Dan. XIV. En tibi effigiem carnis. Colitur hæc a Babyloniiis, id est, mundi sectatoribus et propemodum adoratur. Vident hi cultam Venerem, et pro dea habent; Dei enim veri lege et amore spreto rapiuntur in ejus amorem velut equi emissarii, adhinnientes equæ. Sed modicum